

ceteros Interpretes, non Juliani nomine, sed Novellæ, certissimum est. Sed quum eodem tempore haberent inep-  
tam illam κατὰ τὸδα interpretationem τῶν Νεαπῶν, hoc est,  
Novellarum Constitutionum, eam huic libro præferentes,  
Authenticorum nomine exornarunt. Ex eo libro Irnerius  
Constitutionibus Codicis Justiniani capita quædam adjecit;  
quas Authenticas constitutiones appellavit. Ita Novellarum  
nomen, quod vetustissimum est, & a plurimis Imperatoribus,  
post Theodosianum Codicem editum, usurpatum, & quo  
Justinianus ipse utitur frequentius in his eisdem legibus  
appellandis; usurpari desit, & Authenticorum frequentari.  
Primus nostro tempore Gregorius Haloander Norica illa  
laudatissima editione Juris Civilis, exemplo quodam usus  
Bononiæ Florentini libri Marcianæ Bibliothecæ, Græcè & Latine, quasi postliminio restituendum  
eum librum Novellarum curavit. Post hunc Henricus  
Scrimgerus Græcè multis Constitutionibus autem eundem  
edidit, exemplam sequutus Veneti Libri Bessarionis  
Cardinalis. Scrimgerianæ editionis interpretes fuerunt  
Antonius Contius, & Henricus Agylæus, quorum alter  
Authenticorum volumini nimis deferens, decimam quandam  
Collationem addidit, in quam retulit eas Constitutiones,  
quæ in Authenticis deerant; alter novam, Latinam  
editionem novellarum, addendo ea, quæ in Norica  
editione ab Haloandro omissa sunt, satis diligenter  
conscriptit. Id unum in eorum Libris, & in Duareni  
Juris Civilis accurata editione desidero, quod nemo  
Græca verba novellarum retulerit, nec Latinam Juliani  
interpretationem. Primus Nicolaus Boërius Legibus  
Longobardorum, Juliani libellum conjunxit, Scholiis  
ornavit, & in publicum proposuit. Hunc sequuti  
sunt Lugdunenses librarii, qui minus mendosos libros  
habuerunt. Ad nostras manus venerunt præter hos  
Andrææ Alciati pervetus liber, & alter Pallatinæ  
Ecclesiæ Codex Hispaniensis minus vetustus. Ex his omnibus  
libris, & ex collatione verborum, quæ tum ab aliis, tum  
ab Ivone Carnotensi referuntur, Julianus noster magis  
limatus prodit, & pleniori quamvis quædam adhuc mu-  
tila